

marchio Moravie, dux Cracovie et Sandomerie, decem milia marcarum argenti, que pro dote filie sue filio nostro Ruperto dare tenetur, ratione amicitie preveniendo solucionis terminum debitum in festis assumptionis beate virginis et epiphanie domini proxime nunc venturis proportionaliter^{a)} solvere promiserit et pagare, nos terram Plisnensem videlicet castrum, civitatem seu opidum in Aldenburg, Kemnytz, Zwikgowe et totam terram Plisnensem cum omnibus fasallis, hominibus, bonis feodatis seu non infeodatis, iudiciis, theloneis, juribus et honoribus ac aliis pertinenciis ad eam spectantibus eo iure, quo ad regem Romanorum spectare seu pertinere noscuntur, necnon Egram civitatem et castrum cum suo territorio, castris, hominibus, bonis feodatis et infeodatis, fasallis, iudiciis, colonis et omnibus solucionibus seu iuribus universis, que ad regem Romanorum pertinere noscuntur, ypothecamus et impignoramus, et ypothecata ac impignorata per presentes assignamus et tradimus dicto W[enczelao] regi Bohemorum et suis heredibus pro pecunia prelibata. Que tamen impignoracio seu obligacio evanescet et penitus dissolvetur nupciis inter nostrum filium et ipsius .. regis filiam celebratis. Hoc ^(b)acto expresse^{b)}, quod si regi Bohemorum de domino Egre predicto aliquid iuris competere videbitur seu competit et id poterit legitime edocere testibus et instrumentis ac aliis probacionibus competentibus, illud sibi dimittemus sine molestia qualibet et pressura.^{c)} Datum Aquisgrani, II. kal. julii, anno domini millesimo ducesimo nonagesimo^{d)} secundo, regni vero nostri anno primo.

a) proporcionabiliter *Böhmer/Ficker, Altenburger UB* (*b–b*) autem expresse *Böhmer/Ficker, Altenburger UB*; pacto expresse *Nr. 27, Ludewig* *c)* folgt im Text von *Nr. 27 bei Ludewig*: In huius rei testimonium praesentes literas scribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari *d)* nonagesimo (*A*)

29. *Landgraf Albrecht von Thüringen beurkundet, dass die Gerichtsbarkeit in der Stadt Zwickau sich nie über die Befestigungen der Stadt hinaus erstreckt habe.*

1295 Oktober 31, Wartburg

Original nicht zu ermitteln. — Abschrift: SächsHStA Dresden, 10024, Geheimer Rat, Loc. 8936/34, 38r–38v (15. Jh.) (B). — Übersetzung: ebenda, fol. 17v. — Edition: Schöttgen/Kreysig, Dipl. II, S. 534, § 23. — Regest: Horn, Handbibliothek I, S. 310. — Anm.: Schmidt, Wiedergefundene Originalurkunden, S. 32 u. 39.

Albertus dei gratia Thuringorum lantgravius et Saxonie comes palatinus universis, ad quos presens scriptum pervenerit, salutem et omne bonum. Universorum singularitati et singulorum universitati huius nostri scripti verissima assercione, recognicione et attestacione innotescendo declaramus, quod iudicium et iura omnia iudicii civitatis Czwikaw, que longo tempore ad nostros progenitores et choheredes simulque ad nos aliquamdiu pertinuisse dinoscitur, nuncquam ulterius, quam quousque circuitus muniminum fossatorum eiusdem civitatis iure inscribitur, extendi licuit, sicut ab exordio ipsius fundacionis ratihabitum est, aut protendi in amplius ab aliquo hominum debuit aut potuit ullo modo, salvo iure, presertim ut huiusmodi | ratihabicio plenissima certificacione fulciatur, insigne memoriale duximus invendum videlicet,